



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Angelus possit se contrahere ad spatium minus illo, quod
vi suæ perfectionis potest occupare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT II.

DE POTENTIA LOCOMOTIVA
ANGELORVM.

OMitto quæstiones illas, quas aliqui hîc discutiunt, de Vbicatione Angelorum, vtrum sit modus, vtrum indivisibilis, quid sit spatium imaginarium, quomodo Angelus possit moveri motu continuo vel discreto, volocius & velocius in infinitum. de hoc ultimo videri possunt Institutiones Theologicæ, ubi conatus sum ostendere, quâ ratione juxta varia principia philosophica de compositione Continui discurrendum sit. Reliquæ hodie accuratè in Philosophia traduntur.

CONTROVERSIA I.

Virum Angelus possit se contrahere ad spatium minus illo, quod vi sua perfectionis potest occupare.

848. **P**rima sententia negat. Ita Valentia & Elparza. Secunda affirmat, sed negat posse se contrahere ad minus & minus in infinitum. Ita Vasquez. Tertia affirmat etiam hoc posterius. Ita communis, quorum aliqui, vt Derkennius, volunt, posse existere in spatio mathematicè indivisibili. Verùm hoc vltimum rejeci in Philosophia, dixique nec à Deo designari posse spatium occupabile à puncto Zenonico.

849. **DICO**, probabilius esse, quòd Angelus possit se contrahere ad minus spatium, quàm quod potest naturaliter occupare. Probat; quia rationes, quæ in contrarium afferri solent, non videntur efficaces: sine ratione autem non est Angelo hæc potentia deneganda, quam illi communis autoritas concedit: neque hoc est tribuere Angelo aliquam virtutem, sed potiùs libertatem non exercendi totam virtutem in occupando spatio.

850. **Objiciunt.** 1. Præsentia ad spatium tantum, quantum potest Angelus naturaliter occupare, est proprietas & passio consequens ad substantiam Angeli, & quò perfectior est Angelus, eò perfectior est hujusmodi passio: atqui proprietas & passio non potest à natura variari. Ergo. 2. Distinguendo minorem. Proprietas aut passio non potest à natura variari, si per proprietatem intelligas ipsam potentiam ad aliquam formam intrinsecam producendam, concedo: si

intelligas formam ipsam per hujusmodi potentiam producendam, subdistinguo: Si vltima determinatio talis formæ pendet à voluntate suppositi, nego, secus, transeat. Itaque, sicut anima in corpore potest variare vbicationem, inducendo aliam & aliam figuram aut situm in corpore, & sic vltima determinatio vbicationis pendet ab anima, ita vbicatio Angeli pendet eatenus à Voluntate Angeli, quatenus potest se de vno spatio in aliud movere, talem vel talem figuram vel quasi figuram assumere: hujusmodi ergo passionem dico posse variari: non enim debetur determinatè vbicatio tanta, vel talis figura, sed debetur virtus habendi tantam vel talem figuram.

851. **Objiciunt.** 2. Anima in corpore non potest manentibus iisdem dispositionibus contrahere se ad minus spatium: ergo cum Angelus semper sit in eadem dispositione ad spatium maximum occupandum, semper illud occupabit. 2. Antecedens esse verum, si dispositiones ponantur independentes à voluntate animæ: verùm quia ipsa anima habet vim mutandi dispositiones, v.g. potest aliquarum partium compressione inducere densitatem, & per consequens animam constituere in spatio minore, ideo Angelo, qui nullis dispositionibus alijs obnoxius est, debet competere vis, vt solâ voluntate possit se contrahere.

852. **Objiciunt.** 3. Deus non potest suam Immensitatem contrahere: ergo nec Angelus ad minus spatium. Hæc obiectio non meretur responsionem: perinde est ac si diceret. Deus non potest se movere, ergo nec Angelus. Deus non potest avertere intellectum à cognitione hujus objecti: ergo nec Angelus. sicut ergo Angelo propter suam imperfectionem bonum est posse moveri, Deo autem propter suam perfectionem non est bonum, posse moveri: ita Angelo propter suam imperfectionem potest esse bonum, posse se contrahere, Deo verò propter suam perfectionem non potest esse bonum, posse se contrahere. Taceo, quòd Immensitas sit ipse Deus, Vbicatio Angeli sit forma supponens indifferentiam.

853. **Objicies.** 4. Quòd Angelo nullam potest adferre vtilitatem, non potest Angelus velle. minor Vbicatio nullam afferret vtilitatem, quia nulla potest assignari. ergo Angelus non potest illam velle. 2. Omnes farentur, posse

posse Angelum se tardius movere sponte, cum posset se movere velocius: qualem autem in hoc vilitatem habeat, si tu mihi assignaveris, parem ego in spatio minoris occupatione quam.

CONTROVERSIA II.

Virum Angelus possit se movere de spatio in spatium non transito medio.

854. Firmant Cajetanus, Ferrariensis, Banez, Philippus d SS. Trinit. & Thomista plures, quos sequitur Vasquez. Communior est sententia negans, cum Scoto & ejus schola.

DICO 1. Sententia negans non habet pro se vllum evidens argumentum. Probatur, ostendendo, quā ratione ea quæ hucusque allata sunt, dissolvi possint.

Probari ergo solet. 1. Nullum agens naturale, potest naturaliter agere in distans; atqui si Angelus transiliret medium, ageret in distans. ergo non potest transilire medium. Hæc ratio, nihil aliter virgatur, nullam habet vim, & procedit ex perversa rei apprehensione. Nam quando Angelus se constitueret in spatio distante, non ageret in spatium, sed ageret in seipsum, qui esset simul agens & passum, atqui nihil distat à seipso: ergo in illo casu de quo est questio, non ageret Angelus in distans.

855. Paulò ingeniosius ex hoc ipso fundamento discutit Card. de Lugo. Necessitas approximationis debita in agentibus corporeis, oritur ex eorum limitatione, ex qua provenit, ut non possint agere, nisi intra certam sphaeram, quæ incipiat ab eo loco, in quo existunt; nec causa prima tenetur offerre suum concursum, quādiū passum non est positum intra sphaeram. Loquendo verò de ipsa vibratione, producendā in ipso agente, quandoquidem respectu hujus non potest agens intelligi pro priori naturæ approximationem (alioquin approximatō præsupponeretur ad seipsum, quod est impossibile) ideo attenditur ad vibrationem immediatè præcedentem tempore, ut juxta illam reguletur sphaera talis agentis, intra quam debeatur illi nunc concursus causæ primæ ad agendum in passum, quodd fuerit tunc intra illam sphaeram, & ad producendū effectum, qui sit etiam intra illam sphaeram. Unde denique sequitur, non posse Angelum producere vibrationem in se ipso, quæ sit extra sphaeram Angelis, ut omnes concedunt. Atqui (subsumit Lugo) talis esset vibratio producta in spatio distante per saltum, etiam si spatium distans esset ceteroquin intra sphaeram activitatis Angelis: ergo &c. subsumptū probatur. Sphaera activitatis semper ita mensuratur, ut actio incipiat ab eo spatio in quo est agens, hoc est, Angelus, & ab eo diffundatur per totam sphaeram, ut patet in alijs agentibus: ergo idem dicendum est de Angelis.

856. Hæc ratio denique fundat se in eo, quod Angeli eodem modo operentur in sphaeram, quo agunt agentia corporea: hoc adversa-

rij negant: nec Lugo argumento positivo probat, sed supponit hanc maximam: *Angelus non est tribuendus perfectior modus se movendi, quàm reperimus in ceteris.* Et sic totum Argumentum evadit negativum. Quapropter

857. Idem Card. de Lugo, quem sequitur Arriaga, aliam rationem addit. Ratio, inquit, cur agentia corporea non possint transire medium, non provenit specialiter ex materialitate, seu corporeitate; ergo provenit ex ratione generica Entis limitati: quæ ratio cum sit etiam communis Angelis, idem de Angelis dicendum erit.

858. Verum negari potest antecedens, & assignari specialis ratio in agentibus corporeis; Nempe si corpora possent transilire medium, gravissima in Vniverso inconvenientia sequeretur, quæ in Angelis locum non habent. Si enim corpora possent se locare in spatio distante, non transeundo medium; ergo vel deberent se posse penetrare cum alio corpore ibi existente (quia vacuum non datur) vel corpus ibi existens ita deberent expellere, ut immediatè sibi succederet in loco prius à se occupato: prius est contra impenetrabilitatem, corporibus necessariam; secundum verò repugnat directè fini totius vniuersi corporei: summa enim enascetur confusio rerum; nulla Respublica consistere posset, immò mundus inhabitabilis esset: nam gravia, quæ sunt superiori loco sita, & à corpore interposito impediuntur, ne descendant ad locum connaturalem, (quod utique necessarium est ad habitationes construendas, & ut homines ac jumenta vivere possent) immediatè suo naturali impetu sese collocarent in loco inferiore, pellendo aquam subterraneam infra se perpendiculariter positam, cogensque, ut illa occuparet locum superiorem. Porro nec hæc nec similia incommoda, afferret in Angelis Virtus transilienti medium, quemadmodum nulla sequuntur ex eorum penetrabilitate. Posset ergo reddi disparitas inter agentia corporea & Angelos.

859. DICO tamen. 2. Rectius negari Angelis hanc virtutem. Probatur. 1. Nam licet posset specialis ratio assignari, quare corporibus hæc perfectio neganda sit, hoc tamen non sufficit, ad eam continuè Angelis tribuendam. sicut etiam si specialis ratio assignari posset, quare corpora non debeant posse replicari, non propterea Angelis esset hæc perfectio concedenda, quia potest repugnantia etiam ex generali ratione provenire.

860. Probatur. 2. Quia modus loquendi S. Scripturæ, satis indicat Angelos successivè per medium moveri, dum passim dicit, Angelos ascendere, & descendere, circumire & perambulare terram.

861. Obijciunt. 1. Corpora ideo moventur successivè, quia debent vincere resistentiam medij, atqui Angelis nullum medium resistit: ergo non est cur moveantur successivè. 2. Negando Majorem. Nam etiam si lapis in vacuo poneretur

R

neretur